

DISSERTATIO  
HISTORICO-THEOLOGICA,  
DE  
ORDINE ECCLE-  
SIASTICO  
Veteris Testamenti,

*QUAM*  
In Academia Wittenbergenfi  
PRÆSIDE

MAXIME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO  
*atq;* EXCELLENTISSIMO

DNO. JOH: ANDREA QVENSTEDT,  
S. Theol. Doct. ac Prof. Publ. celeberrimo, Elect. Alumn.

Ephoro optimè merito, h. t. Fac. Theolog. DECANO Spectabili.

DNO. PATRONO ac PRÆCEPTORE suo summoperè  
*venerando,*

publicæ disputationi

D. Julii Anno clo lcc LXXIX.

H. L. Q. C.

proponit

M. FRIDERICUS CHRISTIANUS Bücher /

Schlib. Sax. Ord. Philos. Adj.

Coll. diss. A  
91, 57

WITTENBERGÆ,

Excudebat JOHANNES WILCKIUS.

*20. Martii.*

*a. MDCCL. 57.*

GENEROSISSIMIS atq; NOBILISSIMIS  
DOMINIS

DNO. WOLF-HENRICO à Gósern/

Toparchæ in Alsdorff & Hartmansdorff ꝛc.

Serenissimo Saxonix Electori à vicaria Marschalla-  
tus hæreditarii procuratione, supremâq; reddituum  
Censualium præfecturâ, nec non Curix Electoralis, quæ  
Wittebergæ est, ASSESSORI Spectatissimo.

DNO. JOST-BALTHASARI

à Welshausen/

Toparchæ in Wiederau/

Ejusdem Electoralis Curix Assessoris gravissimo.

DOMINIS Meis ac PATRONIS maximoperè  
*suspiciendis*

Hanc Exercitationem Theologicam

eâ, quâ par est, animi observantiâ

L. M. Q.



offert, dedicatq;

M. FRIDERICUS CHRISTIANUS Bücher/  
Ord. Philos. Adj.



I. N. J.

EX HISTORIA  
BIBLICO-ECCLESIASTICA,  
DISSERTATIO

De Ecclesiastico Ordine Veteris  
Testamenti,

NUMERUS I.

De Ministris Ecclesie Israëliticæ Extraordinariis,  
scil. PROPHETIS, eorumq; Nominibus, Gradibus, Revelationum  
modis, Officio, Gestibus, Vestitu, Discipulis  
& Distinctione.

§. I.

**P**ROPHETAS dici-  
mus, qui à DEO im-  
mediate excitati,  
coelesti lumine col-  
lustrati & extra or-  
dinem Sacerdota-  
lem missi, res arca-  
nas, absconditas & humanam cog-  
nitionem excedentes, maximè autem

futuras ex divinâ revelatione homi-  
nibus denunciabant. *Hominibus in-*  
*quam in genere, quia non ad solam*  
*Ecclesiam Israëliticam, sed quandoq;*  
*ad externos etiam populos mitteban-*  
*tur Prophetæ, ad denuntiandum iis*  
*DEI judicia. Hûc spectat Procopii de-*  
*scriptio; μερφήτης ὁ μερφάσκων ἢ τὸ*  
*μύλλον, ἢ τὰ πάργυτα λαμβάνοντα.*

A

Pro-

*Propheta is est, qui aut futura pradi-  
cit, aut ea presentia, quæ adhuc latent.*  
Ebræis dicuntur נְבִיאִים item  
רוֹאִים vel רוֹזְיִים, *Videntes, sive Viso-  
res*, quia DEUS per visiones & ἐκλάμ-  
ψαι illis res futuras & occultas pate-  
faciebat, vel quia, ut Isidorus Origin.  
Lib.VII. cap. 8. scribit, *videbant ea,  
quæ ceteri non videbant, & prospicie-  
bant ea, quæ in mysterio abscondita e-  
rant.* Atq; hæc antiquissima est Pro-  
phetarum nomenclatura, vide 1.Sam.  
IX.9. 2.Sam.XV.27. 2.Chron.IX.29.  
Amos VII.12. Hinc Prophetiæ voca-  
bantur *visiones* Es.I.1. & Judæa ac præ-  
cipuè Hierosolyma הַגְּבִיאִים *vallis  
visionis*, Es.XXII.1. *Vallis*, ob situm lo-  
ci. Erat enim montibus conclusa, val-  
lis instar; *vallis* verò *visionis* ob copi-  
am Prophetarum inibi commoran-  
tium & docentium, sive ob gloriam  
divinarum visionum, quæ huic valli  
& universæ regioni præ ceteris gen-  
tibus competebat. Confer.Ezech.I.1.  
Dan.X.7. Appellantur quoque Pro-  
pheta *Speculatores & vigiles*, Esa.XXI.  
6. Ezech.III.17. cap. XXXIII. 7. quia  
quasi ex altâ divinæ revelationis spe-  
culâ longè disita prospicientes, de iis  
admonent homines, quæ fugere, quæ  
facere oporteat. Nec rarò nominan-  
tur *Viri DEI, Homines DEI*, cum è pe-  
culiari commercio cum DEO, tum  
ab officio divino, vel à DEO commis-  
so, 1.Sam.II.27. c.IX.6.7.8.10. 1.Reg.  
XII.22. cap.XVII.18. c.XX.28. 2.Reg.

IV.7. 2.Petr.I.21. ac speciali, sacratio-  
re; ratione *Servi Dei*, Jerem.VII.25.  
& alibi passim, quia peculiariter illi  
serviunt & ministrant. Antiquissimus  
Prophetarum *Moses* est, unde & *pater  
omnium Prophetarum* à Maimonide;  
teste *Wilhelmo Schickardo* in Exam.  
Comment.Rabbin.Sect.I. disp.I. th.3.  
τῶν προφητῶν πατὴρ à *Justino  
Martyre* Apolog. 2. pro Christian.  
*Prophetarum initiator divinisimus* ab  
*Eusebio* lib. V. de demonstr. Evangel.  
post præfat., Prophetarum omnium  
ἕξαρξ, *fons, stirps & radix*, ab aliis  
vocatur, à quo, ceu fonte perenni Va-  
tum divinis ora rigantur aquis. Uti  
autem cum Mose Propheta cæpe-  
runt, ita cum Malachiâ, Prophetarum  
antiqui Fœderis novissimo desierunt.  
Nam ut scribit scholia sua in eum ex-  
orsus, *Aben Esra*; *In morte ipsius cessa-  
vit Prophetia in Israele*, unde & הַגְּבִיאִים  
הַנְּבִיאִים *Sigillum Prophetarum*,  
à Rabbinis appellatur. A Malachiâ  
itaq; ad Johannem Novi Testam. in-  
choatorem, & Messiaæ præcurso-  
rem atq; Baptistam, nulli Propheta extite-  
runt.

§. 2. Ad munus Propheticum à  
DEO vocati sunt extra ordinem ho-  
mines cujusvis loci, ordinis, status, si-  
ne ullo conditionis aut sexus discrimi-  
ne, humilis plerumq; conditionis  
v.g. pastores, ruricolæ, piscatores &c.  
Sic Moses & David fuere pastores;  
Elisæus agricola, Amos armentarius  
è syco-

& *sycomoro* in ordinem Propheti-  
 cum allectus est, Amos VII.14. E sexu  
 fæminino Prophetissæ nomen forti-  
 ta est *Miria*, soror Aaronis Exod. XV.  
 20. quod visiones habuerit divinas, ut  
 ex Num. XII.2. constat. *Debora*, Judic.  
 IV.4. *Holda*, 2. Reg. XXII.14.2. Chron.  
 XXXIV. 22. *Masoretha* addunt *Uxorē*  
*Esaia* c. VIII.3. & *Noadiã*, Nehem. VI.  
 14. Sed hæc fuit Pseudoprophetissa,  
 quam mercede conduxerant Sanbal-  
 lath & Tobijah; Uxor verò *Esaia* è  
 quâ *Searjaschub* prognatus est, videtur  
 dicta fuisse Prophetissa, tum quia e-  
 rat *uxor Propheta*, tum quia *in partu*  
*hoc Prophetico & ominoso* edendo  
 non privatam sustinuit personam, sed  
 publicam, ut observat Dn. D. ABRA-  
 HAM CALOVIUS, Dn. Affinis, Collega,  
 Compater & in Christo Frater meus  
 etatem devenerandus & conjunctissi-  
 mus in Bibl. Illustr. ad h. l. Nisi dice-  
 re velis, omnia quæ loco citato *Esaia*-  
 no narrantur, contigisse in *visione*, &  
 repræsentari in illâ *visione*, *Mariam*,  
 Matrem *Immanuelis* sub Prophetissæ  
 titulo. In Novo Testamento mentio  
 fit *Anne* viduæ Prophetidis Luc. II.36.  
 & *Filiarum Philippi* prophetantiū, A-  
 ctor. XXI.9. Benè *Gregorius* Homil.  
 XXX. in Evang. *Implet* (Spiritus S.)  
*citharædum puerum, & Psalmistam*  
*facit, implet pastorem, armentarium*  
*sycomoros vellicantem & Prophetam*  
*facit, implet piscatorem & prædicato-*  
*rem facit, implet publicanum & Evan-*

*gelistam facit, implet persecutorem &*  
*Doctorem gentium facit.*

§. 3. Non autem quotiescunq;  
 voluerunt, & omni tempore potue-  
 runt vel occulta nosse, vel futu-  
 ra prævidere Prophetæ, nisi quatenus  
 DEUS illis voluit revelare. Neq; e-  
 nim semper Prophetis adfuit Spiri-  
 tus Propheticus, cum donum Pro-  
 pheticum non per modum habitus,  
 sed tantum per modum influxus vel  
 irradiationis aut coruscationis cu-  
 jusdam specialis ad actus à DEO con-  
 stitutos Prophetis fuerit concessum.  
 Ideoq; semper novâ revelatione opus  
 erat, cum fungi suo munere vellent,  
 nec semper uno, eodemq; tempore  
 omnia intelligebant, & quandoq; hæ-  
 rebant, cum divina  $\pi\nu\omicron\eta$  sive inspira-  
 tio ipsis præsto non esset, ut aliquoti-  
 es *Theodoretus* in 1. Sam. q. XXXV. &  
 in 2. Reg. q. XVI. præcipuè autem in  
 2. Samuel. q. XXII. adductis *Samue-*  
*lis, Nathanis, Elisæi, aliorumq; exem-*  
*plis* probat. Idem confirmat vene-  
 rabilis *Beda*; *Sicut, inquit, in potesta-*  
*te prophetantium non erat, semper ha-*  
*bere Spiritum S. hoc est, semper futura*  
*posse prædicere, sed ipse Spiritus eorum*  
*corda, quando voluit, implevit, ita*  
*etiã potestatis eorum non erat, ut qua-*  
*cunq; vellent, docerent, sed quæ Spiritu*  
*illustrati didicerant, ea sola dicebant.*  
 Nec dissentit *B. Lutherus* Comment.  
 in Genes. cap. XLIV. Tom. VI. Oper  
 Latin. Witteberg. fol. 602. *Usitato pro*

4  
 verbio apud Theologos dici solet, ait; Spirit. S. non semper tangit corda Prophetar. Illuminationes Propheticae non sunt continuæ & perpetuæ. Sicut Esaias non habuit continuas & assiduas revelationes, de rebus maximis, sed per vices temporū. Idem testatur exemplum Elisei, ad citharæ sonitum prophetantis.

§. 4. Cæterum inter Mosen & reliquos Prophetas in gradu ὑπερβόητος magnum fuit discrimen. Cum Mose enim dicitur DEUS loquutus fuisse ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΔΕΟΝ LXX. ἐνώπιον ἐνώπιον, Vulgat. Facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum, h. e. interprete Augustino Lib. iv. de Symb. cap. 3. manifestatione omnium summa; modo planè præcellenti, atq; inexperto cæteris, sibi & DEO noto, ut exponit Bernbardus serm. 33. super Canticum. Exod. XXXIII. II. quam ὑπερβόητον Moses habuit præ omnibus aliis Prophetis. Unde & DEUS ipse eum omnibus cæteris, qui vel fuerant aliquando, vel tum vivebant, longè anteponit. Sic Num. XII. 6. 7. 8. dicit Dominus, quòd cum eo singulari modo communicet, non visione, non somnio, sicut Prophetis aliis, non similitudine & specie ænigmatica, sed ἀπὸ προσώπου καὶ ἀπὸ φωνῆς vel ut est in textu Hebræo, ore ad os, præsentè alloquio & conspectu. Atq; hinc κατ' ἐξοχὴν & peculiariter *Propheta* appellatur Hoseæ XII. 14. (Tremellius ibi per Prophetam intelligit Jehosiam, sed malè,) Eâ fi-

gurâ quâ *Philosophum* dicimus pro Aristotele, *Poëtam* pro Homero, & in Sacris *Apostolum* pro Paulo. Moses per excellentiam commune Prophetarum nomen effecit suum. Inter homines enim hoc fit, teste Galeno, ut qui in aliquo genere præstant, aut excellunt, τὰ ὑπερβόητα ἐν τῷ γένει, generis nomine appellentur, ut observat Rivetus Comm. in Hoseam, Tom. II. Oper. pag. 777. Nec similis ei surrexit Propheta usq; ad adventum Christi, ut dicitur in Epitaphio Mosis ab ipso Spiritu S. concinnato Deuter. XXXIV. 10. Judæi existimant, non dari Prophetam majorem Mose, ob quatuor potissimum causas, quas latè exponit R. Isaac Abrabavel de capitibus fidei c. i. fundamento VII. & breviter recenset D. J. T. Major Comment. super Epist. ad Ebræos, thes. X. pag. 34. quæ in vide. §. 5. In modo cœlestis revelationis seu patefactionis magna quoq; fuit differentia. Constat enim ex Epist. ad Ebræos cap. I. I. Deum πολλοῖς καὶ πολλοῖς ὁσῶς, multis vicibus (ut Beza reddit,) multisq; modis olim loqutum Patribus in Prophetis. Prior vox, diversitatem non solum personarum & temporum, sed etiam graduum intensiōnis & remissionis, itemq; manifestationis divinarum mysteriorum partitionem (quod scilicet non omnia nec eadem omnibus Prophetis revelata, sed quasi partibus mysteriorum distri-

distri-

distributis, alia aliis inspirata sunt) complectitur; posterior *modi revelationis* Prophetis factæ *varietatem*, seu multiplicem rationem insinuat. Sanè Ebræi *undecim* distinctos *gradus Prophetiarum* ac modos enumerant, præsertim *Moses Ægyptius* lib. 2. Doctoris sui cap. 36. & de fundamentis legis c. 7. num. 3. quos alii ad quatuor revo- cant, quibus recensendis hîc non immorabor. Græci Patres varias καὶ πολυτρόπους Prophetiæ species hoc modo proponunt. Unam, vid. κατὰ Φαιλασίαν, quam & duplicem statuunt, ἡμερανὴν τε, καὶ τὴν κτῆ-νύκτα, nocturnam & diurnam; alteram κατ' ὄψιν, cum aliquid representationis causa in oculos incurrit; tertiã deniq; quã κατ' ὑποτύπωσιν τῶν ἡγεμονικῶν τοῖς μέλλουσιν, ὡς τοῖς παρῶσι συζηνομένους vocant, cum mens Prophetarum ab omni humanã sorde prius expurgatã res futuras, ut presentes quasi oculis usurpat. Ut ex Heinsii Aristarcho S. cap. II. pag. 856. docet B. D. Dorscheus Theol. Zachar. part. II. procem. §. 2. Eodem modo Latini triplicem Prophetiæ speciem constituunt; *Corporealem*, *Imaginariam*, & *Intellectualẽ*, quod discrimen ex Patribus Latinis tradit Augustinus Lib. XII. de Genad liter. cap. IX. X. XI. XII. XXIV. & XXV. Tom. III. Oper. quem sequuntur *Istidorus* Origin. Lib. VIII. cap. 8. *Thomas* Sec. Secundæ, q. CLXXIV. art. II. & III. *Alphonsus* *Tostatus* q. II. super lib. 3.

Reg. cap. IX. & Scholastici plerique. *Corporealem modum* dicunt, non ideò, quòd non pertingat ad intellectum, sed quia primariò fit per sensibilem aliquam representationem, ac signa seu imagines sensibus corporeis objectas, ex quibus conceptus mentis nascitur, & vigilantibus solùm obtingit, exhibeturq; in signis externis, vel *mutis*, ut in *columna nubis* & *ignis*, Exod. XIII. 21. in *umbra in solaris* *Ezechie* *Regis retrograda* Es. XXXVIII. 8. in *sorte divinatoria* 1. Sam. X. 20. cap. XIV. 41. Actor. I. 26. in *manu scribentis in pariete* Daniel. V. 5. in *vellere Gedeonis*, Jud. VI. 37. &c. vel *vocalibus*, (quæ se auribus offerebant, sine objectis externis visibilibus per voces à DEO formatas) ut in *voce* à *propitiatorio sonora*, *Samueli facta* 1. Sam. III. 4. 6. 8. 10. in *Christum pronuntiata* Joh. XII. 28. vel *deniq; mixtis*, (quæ conjunctim oculos & aures afficiunt) ut factum in *ruba ardente*, cui *vox juncta* Exod. III. 4. in *legis promulgatione*, ubi DEUS ex nube densa & igne fumigante, inter tonitrua, fulgura & fulmina populum Israeliticum est alloutus, Exod. XX. 1. seq. 18. seq. in *GeoΦαυσία* *Jordanicã* Matth. III. 16. 17. &c. Alter modus secundum Scholasticos est *imaginarius*, cum sensui interno aut phantasiæ aliquid representatur, quòd alioqui homo non erat apprehensurus, quòd fit vel per novas species phantasiæ impressas, vel per

præexistentes immutatas, aliter ordinatas, & novo lumine collustratas. Talis visio facta est Jeremiæ, cap. XIII. 1. & 4. ubi jubetur sibi comparare *Cingulum linteum & occultare ad Euphratem in foramine petrae*, (quod aliter fieri non potuit, Hierosolymâ à Chaldæis jam obsessâ, egressuq; & ingressu in urbem intercluso) *Visio est, non res gesta*, inquit Pareus in adversar. adh. 1. *Neq; enim est verisimile, Prophetam, qui quotidie docendi munere apud suos fungebatur, tantum iter ex Judæâ in Chaldaeam, & quidem bis supra 150. milliaria confecisse.* Consentiunt Hieronymus, Lyranus, Vatablus, alii: Visio autem hæc præfiguravit exilium & exitium populi Judaici. Sic Ezechieli ostensa DEI gloria, cap. III. 8. & templi novi structura cap. XL. 3. seq. Ita Danieli noctu per visionem exhibita *statua magna* cap. II. 19. quam Rex Nebucadnezar in sônio viderat, sed postea è memoriâ, obortâ perturbatione, amiserat, confer cap. VII. 2. Zachariæ equi rufi, fulvi, candidi cap. I. 8. &c. Videtur etiam verisimile, pleraq; hoc modo S. Johanni in Apocalypsi fuisse revelata. Hæc Prophetiæ species contigit non tantum vigilantibus, sed sæpe etiam dormientibus & somniantibus Num. XII. 6. Jobi XXXIII. 15. 16. quum scil. dormientibus, mediante simulacro vel phantasmate, futura præmonstrata sunt, & quidem vel in signis mutis, ut in vac-

uis & spicis, Pharaonē concitantibus, Gen. XL. 2. & 5. vel *vocalibus*, in verbis Abimelecho somnianti Gen. XX. 3. & Magis in Bethlehē factis, Matth. II. 12. vel *mixtis*, ut in scalâ Jacobæâ, Gen. XXVIII. 12. seq. *Intellectualis* modus erat, qui neq; à sensu, neq; ab imaginatione originem ducebat, sed immediatè à lumine intellectui affuso oriebatur, sive fiebat per illustrationem mentis sine mediatione vocis aut imaginis cujusdam ostensione, quatenus scil. species intelligibiles vel prorsus novæ, vel præexistentes quidem, sed excitatæ, elevatæ & supernaturali lumine collustratæ intellectui representabantur, atq; divinâ virtute ad aliquem mentis conceptum formandum adhibebantur & applicabantur, vide Dn. D. JOHANNEM MEISNERUM, Collegam, Compatrem & in Christo Fratrem meum honoratissimum Disputatione de Prophetiis sect. II. th. 17. seqq. hæc fusius enarrantem.

§. 6. Alii divinæ revelationis modos ita distinguunt; *Revelatio divina* in V. T. fuit vel *extraordinaria*, vel *ordinaria*. Illa vel *singularis* fuit, ac Mosis, fideli Dei servo, quasi propria & peculiaris, aspectus nempe & conversationis amicæ, sive ut Scriptura ait, *ore ad os*, ut amicus cum amico coram & ore tenus loquitur, vel *communis*, quæ ratione subjecti, vel *vigilantibus per oraciones*, seu *visionem*, vel *dormientibus κατ' ονείρα*, sive per *somnium*.



*somnium* facta est, Num. XII. 6. Fuitq; visio alia *externa*, sive oculis corporis objecta & percepta, qvalis fuit visio rubi ardentis Exod. III. 4. vel *interna*, quum mens ipsa vidit spirituali oculo objectum Propheticum, cœlesti lumine repræsentatum. Ratione modi alia *symbolica* fuit, alia *aperta*; *Symbolica* facta est, cum per rerum revelandarum imagines, in figurâ seu ideâ, tum per ænigmata. Ibi eadem, quæ videbantur, hîc alia, quàm quæ videbantur, significata sunt. Tale ænigma legitur Ezech. III. 1. ubi Propheta volumen ex mandato divino comedit, ut inde sui officii admoneretur, in verbis DEI diligenter legendis, meditando & proponendis. Somnium autem & Visio nuda, præsertim quæ fiebat per imagines rerum ænigmaticè, id quod manifestandum erat, significantium non habebat rationem Prophetiæ, vel revelationis per prophetiam, nisi alia accederet revelatio per illuminationem, quâ ad id, quod obscure & ænigmaticè per species rerum aliarum significabatur, rectè cognoscendum intellectus elevabatur. Sic statua Nebucadnezari ænigmaticè repræsentata, Prophetica non erat, quando verò eadem statua Danieli cap. II. 19. seqq. in somno conspicienda exhibebatur, & simul intellectus ejus illuminabatur, ut quid per illam significaretur, cognosceret, tum somnium Propheticum & revelatio Pro-

phetica erat. Rectè *Augustinus* libro contra Adimantū Manichæi discipulum Tom. VI. *Daniel* inquit, *revelante sancto DEI Spiritu, & quid ille (Nebucadnezar) vidisset in somnis eâ parte vidit, quâ corporum capiuntur imagines, & quid significaret, mente conspexit. Non est autem Propheta, veri DEI & summi, qui oblata divinitus visa, vel solo corpore, vel etiam illa parte spiritus videt, quâ corporum capiuntur imagines & mente non videt. Revelatio aperta, quæ ordinaria erat, facta est perspicuâ & evidenti voluntatis divinæ significatione, sine symbolis, figuris, aut ænigmatibus: & quidem I. per verbum, sive externum, sive internum, hoc est, vel per alloquium externum, vel per interiorem afflatum & inspirationem. Alloquium externum fiebat, quando DEUS in conspicuâ formâ apparens, vel alio sensibili signo præsentiam suam testificans, per vocem præter naturæ ordinem in aère formatam loquebatur ad Patriarchas, Mosen & Prophetas, & quidem vel per se ipsum *à visus*, vel per angelos divinitus missos. Interior afflatus erat, quo DEUS intus ad animum virorum sanctorum loquebatur, vel per conceptus immediatè illis inspiratos manifestabat, quæ ipsis nota fieri vellet. Sic David dicit 2. Sam. XXIII. 2. *Spiritus Domini locutus est in me, & sermo ejus per linguâ meam.**

Paria

Paria legimus. Num. XII. 2. An duntaxat **וַיְדַבֵּר** in Mose locutus est Jehova, annon etiam **וַיְדַבֵּר** in nobis locutus est. Habacuc **וַיְדַבֵּר** ut videam, quid loquatur **וַיְדַבֵּר** in me. Sic Christus Matth. X. 20. *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Verbum ergo **וַיְדַבֵּר** cum **וַיְדַבֵּר** constructum locis jam citatis ex sententia Kimchi notat Prophetiam vel internam Spiritus S. inspirationem. Hæc ipsa verò arcana divinorum oraculorum inspiratio contingebat nonnunquam sine, quandoq; cum **עָשׂוּרִים** seu raptu. (Cessante scil. externâ sensuum operatione.) Exempla revelationis in **עָשׂוּרִים** habemus Ezech. 1. 3. & 4. c. XXXVII. 1. 2. Cor. XII. 2. 3. 4. Actor. X. 10. II. **אֲוִירִים וְתַמִּים** sive *Luces & Perfectiones* in pectorali Sacerdotis Exod. XXVIII. 30. Num. XXVII. 21. I. Sam. XXVIII. 6. quâ ratione verò per **אֲוִירִים וְתַמִּים** in pectorali Sacerdotis summi peracta fuerit divina revelatio, *exactè, frivè posse hominem,* cum B. Gerardo, avunculo meo desideratissimo Exeg. Loc. I. §. 10. pag. 14. *in hac vitâ arbitrator neminem.* Sunt ea de re tot ferè sententiæ, quot Interpretes. *Augustinus Steuchus*, Canonicus Regularis & Bibliothecarius Apostolicus, qui superiori seculo floruit, ex Num. XII. 6. & 7. quinq; Prophetiarum genera colligit 1. per *visionem*, cum rem in visionibus oblatam intuiti sunt Pro-

phetæ. 2. in *somnio*, quod contigit dormientibus, objectis internis visionibus, 3. in *enigmatibus*, cum aliud videbatur, aliud innuebatur. 4. in *figurâ* vel *ideâ*, cum rerum imagines exhibebantur. 5. ab *ore ad os*, quo Moses veluti amicus cum amico, familiariter cum DEO conversatus dicitur. Videatur B. Gerhardus loc. jam cit. B. Meisnerus in Epist. Dedicator. præmissâ Commentar. in Hoseam. D. Waltherus in Offic. Biblic. de S. Scripturâ in specie, theca IV, §. 943. Dn. D. ABRAHAM CALOVIVS in Bibl. Illustr. Prolegom. in Prophetas præmissis Libro Josuæ, & in Epist. ad Hebr. cap. I. v. 1. III.

§. 7. *Officium Prophetarum*, præsertim eorum, qui Mosen sunt subsequuti, revocari potest ad quatuor capita, I. docebant homines de Deo, Deiq; voluntate & vero Ejus cultu, morali & ceremoniali, commendabant divina peculiariter Judæis exhibita beneficia, & ingratitude eorum accusabant: II. Corruptelas doctrinæ, cultus & morum à Pseudoprophetis, Sacerdotibus, Regibus, aut populo in vectas divino animati zelo acriter taxabant; Auditores suos ad seriam pœnitentiam, vitamq; sanctiorem revocabant & invitabant, DEO rebellibus, refractariis & contumacibus excidia, pestem, captivitatem, bella, aliasq; horribiles calamitates comminabantur, resipiscentibus veniam & gratiam Dei promittebant. III. Pro-

misho-

missiones Dei cum aliis, tum præcipue, de Messia Redemptore Mundi tunc futuro, ejusque in carne adventu, miraculis, beneficiis, officio & regno per universum orbem fundando, itemque de ejus stirpe seu familia, loco & tempore natali, passione, morte, resurrectione, in caelos ascensione, ad dextram Dei sessione &c. speciatim vaticinabantur. Prophetarum enim scopus, testimonium de JESU, Actor. X. 43. cap. III. 24. videatur Exercit. nostr. Theolog. ultima de Scopo S. Scripturae. IV. Prænucciabant etiam alios eventus futuros, in Ecclesia & extra eam, consultique de rebus dubiis & perplexis oracula edebant, V. Erant ministri multorum miraculorum, quæ DEUS per eos, ipsisque petentibus vel prædicentibus, vel certa signa adhibentibus, edebat in confirmationem oraculorum, vocationis & doctrinae Propheticae. Addunt nonnulli *Sexto loco*, Prophetas aliquam partem civilis gubernationis sustinuisse, quod tamen magis peculiare quorundam privilegium, quam commune omnibus officium fuisse, certum est, ut *Mosis*, qui à Deo dux Israelis & *Samuelis*, qui Judex populi constitutus fuit singulari privilegio. Interim tamen non solius doctrinae curam agebant Prophetæ, aut Doctorum tantumungebantur munere, verum etiam in regimine Politico Regibus præsto erant; gubernabant piorum Regum consilia, & quid facto

opus esset, ubi pericula imminerent monebant. Impiis Regibus clades & calamitates Dei nomine denunciabant.

§. 8. Porro Prophetæ non solum in publicis Ecclesiae conventibus, quæ à Deo sibi revelata erant, prædicabant, sed etiam conciones suas, quas ad populum prolixissimas habuerant, in breves summas contrahabant & in literas referebant, Spiritu S. non tantum res, sed etiam verba inspirante & suggerente. Observant quoque B. D. *Chemnitius* in Dissert. de usu & utilitate Locor. Theolog. Locis Theol. præfixa & B. D. *Waltherus* loco supra alleg. §. 944. nec non *Calvinus* præfat. in Esaiam, Prophetas conciones suas sic descriptas valvis Templi affixisse & publice omnibus legendas proposuisse, ut ita melius innotesceret divina revelatio: Illasque cum per aliquot dies satis patuissent, ablatas esse à Templi ministris atque in thesaurum repositas, ut perpetuum ejus rei monumentum extaret.

§. 9. Non neglexerunt Prophetæ in concionibus suis olim *Actionem*, (quam vitam & quasi animam concionis merito dixeris,) sed subinde pro ratione materiae, quam tractabant, *Gestus* peculiare adhibuerunt, Moses velatus prodibat, Ex. XXXIV. 33. 35. cum naturæ nostræ caliginem, tum Judæorum excecationem, indicans, de qua vide Apostolum 2. Cor. III. 13. in primis quoties casus tragi-

B

cos

cos vel publicas clades, pestem, bella, famem, captivitatem &c. annuntiabant, inter concionandū quādoque amarè flere & lacrymis ubertim fufis suam *συμπτῶσις* contestari solebant Prophetæ, vide Esa. XXII. 4. Jer. IX. 1. Joel. II. 17. Ezech. XIX. 1. & XXVIII. 12. femur ferire in graviore luctu & percutere Jerem. XXXI. 19. Imò Deus ipse Prophetis certos, eosq; notabiles Gestus aliquando imperavit; Sic Jeremias jussu Dei cum jugo ligneo portatili concionatus est, in signum subjugationis futuræ Jerem. XXVII. 2. 8. II. ut repræsentatione hac moti eò faciliores Judæi ad emendationē perducerentur. Ezechiel percutere manus & pedes allidere inter concionandum jubetur cap. VI. II. i. e. manum extendere versùs Judæam, tanquam percussurus & terræ pulverem pede discutere, ut exponit Grotius in notis ad h. l. Alibi DEO mandante supellectile humeris impositâ concionem habet de transmigratione populi in carceres Babylonicos cap. XII. 3. Sic & in conspectu populi panē cum tremore comedere, & aquam festinabundus cum formidine bibere jubetur, & pro concione exponere, quod similis trepidatio Israelitis contumacibus instet cap. eodem v. 18. Jeremias lagunculam figuli testaceam coram populo confringit his additis verbis; *Sic conteram populum istum*, Jerem. XIX. 10. Quandoq; in publicâ concione vestimenta sua sciderunt vel

lacerarunt Prophetæ &c. Videatur *Bened. Aria Montani* liber, cujus frons est Jeremias, sive de Actione, ad S. Apparatus Instruct.

§. 10. Prophetarum habitus *pallium hirtum*, seu *villosum*. Sic Zachar. XIII. 4. confusionis Pseudo-prophetarū tempore Nov. Test. futuræ signū prædicatur abdicatio seu non induitio *palli pilorū*, i. e. Prophetici (*תשערת* *toga villosa*, qualis vestis Eliæ, 2. Reg. I. 8. qui inde pilosus, vel *vir pilorum* ibi dicitur, scil. non tam à suis, quàm ab alienis pilis, quia non ex hirsutis pellibus, ut quidam arbitrantur, sed ex pilis camelorum aut caprarum textile pallium habuisse videtur; vocatur aliàs *δέρις τεχνίτην vestimentum densum ex pilis*,) Johannis Baptistæ *ἐνδυμα δὲ τεχνῶν, καμήλας* erat. Matth. III. 4. Marc. I. 6. Non fuit autem hoc vestimenti genus pellis camelina, quā imperita Pictorum gens Johannem Fauni cujusdam & Satyri instar involvit (quod enim non pelle, sed pilis Cameli constiterit vestimentum Baptistæ, Evangelistæ disertè tradunt) nec fuit cilicium Monasticum, cuti vel carni immediatè applicatum, ut Romanenses fingunt, hoc namque nec Matthæus dicit, nec virorum sanctorum aut Prophetarum consuetudo docet, sed fuit vestis simplex, vilis, rudis, texta vid. ruditer vel rudi quadam arte, faciliq; negotio, è pilis Camelorum, ac accommodata

data

data tùm loco, ubi docebat, tum argumento, quod docebat, *εὐπροσει* quoque *ἐν τῇ ὄρεινῃ*, ubi camelorum multitudo. Falsum ergò, Eliam vel Johannem Baptistam exemplo suo cucullis Monasticis originem dedisse, quod donec à Papistis probetur, à nobis constantissimè negatur. Sic ad Prophetas & potissimum ad Eliam & pallii ejus hæredem, Elisæum, 1. Reg. XIX. 19. respexisse videtur S. Paulus Hebr. XI. 37. scribens; *ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγνέοις δέρμασιν, ἰν οὐλλίς ἔ καπρινίς πελλίβις.* Nam pallium Eliæ LXX. Interpp. vocant *μηλωτήν* 2. Reg. II. 8. Hinc Jesuita *Santius* Comment. in. 2. Lib. Reg. cap. I. v. 8. col. 1343. inquit; *Melota non solum est animalium pellis seu exuvium naturali villo hispida, sed etiam indumentum ex camelorum, seu ex caprarum pilis rudi opere contextum, quale Johannes Baptista induit, qui non ex pellibus sed ex pilis camelorum tegumentum habuisse traditur.* Prophetæ ergò vili habitu utebantur, qualis est ex ovium aut caprarum pellibus, vel potius ex pilis camelorum aut caprarum. *Clemens Romanus* in Epistola ad Corinthios de Prophetis, quos inter & Johannem Baptistam nominat, ita loquitur; *ἐν δέρμασιν, αἰγνέοις καὶ μηλωταῖς καὶ τριχῶν καμηλείων πλέγμασιν περιεπάτησαν.* Saccum quoque à Prophetis quandoquæ; sed extraordinem gestatum, in denunciatione singulari pœnarum divinarum, ut a-

liunde, sic in primis ex Esaiæ XX. 2. liquet, qui saccus etiam pœnitentium, & afflictorum ac dolentium vestis erat inter Judæos, sed temporaria, non perpetua, ut suo loco dicemus. *Hieronymus* saccum propriè dictum h. l. intelligit, & hunc fuisse Prophetis habitum ordinarium autumat. *Hieronymus* sequuntur Jesuitæ *Estius* & *Menochius* in h. l. statuentes consuetum & quotidianum Prophetæ Esaiæ indumentum fuisse saccum, i. e. sacceam tunicam h. e. ex vili & asperâ materiâ confectam. Ast *Hieronymo* assentimur in eo, quod fuerit saccus Esaiæ propriè dictus, quod autem fuerit communis & ordinarius Prophetarum habitus, negamus.

§. II. De Scholis & Collegiis Prophetarum, in quibus alios instituebant, alibi erit dicendi locus. Hic illud observandum, eos, qui in Scholis illorū informabantur, dictos fuisse *Filios Prophetarum* 2. Reg. II. 3. 5. 7. 15. cap. VI. 1. Habitabant illi conjunctim in uno Collegio, vacabant precibus, incumbabant studiis, præsertim S. Scripturæ & mittebantur haud rarò ad docendum populum. Præfuit illis aliquandiu Elias, & post eum Elisæus, utpote qui primus & quasi primogenitus inter Filios seu discipulos Eliæ fuit, & à morte Præceptoris duplam Spiritus Eliæ portionē præ aliis condiscipulis accepit 2. Reg. II. 9. Hos Prophetarum filios Vet. Testam. *Hieronymus* ad Rusticum & ad Paulinam

Monachos facit, sed præter Scripturã. Videatur *Hospinianus* de Origine Monachatus part. I. cap. VIII. Cæterũ uti Prophetarum discipuli dicti sunt *fili*, ita illi vocati sunt *Patres*. Hinc *Elisæus* videns *Eliam* vivum in cœlum ascendentem, exclamat, *Pater mi, Pater mi*, 2. Reg. II. 12. Unde & *Judæi* Rabbinos suos *Patres* salutant, & nos vetustiores Ecclesiæ Doctores, *Patres* dicimus.

§. 12. Coronidis loco agendum de Prophetarum distinctione. Distinguunt *Ebræi* Prophetas in *priores*, quos vocant נביאים ראשונים & *posteriores*, qui Græcis & Latinis aliàs Prophetæ dicuntur, eosq; appellant נביאים אחרונים. *Priores* nonnullis dicuntur, qui ante tempora *Uziæ* vel *Azariæ*, filii *Amasiæ* vixere, *posteriores*, qui *Uziæ* temporibus & sequentibus floruerunt. Quamquam non tam temporis, quo docuerunt, quam ordinis librorum, quo in sacrum Canonem digesti sunt, ratio in hac distributione habita esse videatur. Illis, scil. prioribus assignant Libros sex: *Josue*, *Judicum*, *Samuelis* duos & *Regum* totidem. *Posteriores* *Ebræis* sunt; *Esaias*, *Jeremias*, *Ezechiel* & liber שני עשר vel Chaldaicè תרי עשר & contra-ctè תריסר *duodecim*, subintellige *Prophetarum illorum minorum*, qui ut propter parvitatem in unum congesti olim sunt opusculũ, ita etiam pro uno tantũ habentur. Hinc *Masoretha* XII.

Prophetarum scripta usitatisimè נביות libri appellant. Græci vocant δωδεκα πρὸ φηλον. Illi dicuntur *Majores*, hi *Minores*, non ratione autoritatis, quæ omnibus eadem est, sed molis & amplitudinis librorũ, quos Ecclesiæ reliquerunt. Ubi observandum, *Ebræos* eos tantum propriè vocare Prophetas, qui munus Propheticum obibant, quod in erudiendã & regendã Ecclesiã positum erat, Scholàsque & collegia passim in urbibus habebant. Qui autem à Spiritu S. illuminabantur, cum Professione aliàs Prophetæ non essent, ut Reges, Sacerdotes aut similes, non Prophetas sed *Sanctos* appellabant *Ebræorum* Magistri, unde nec horum libros Prophetas vocat, sed simpliciter כתובים Libros scriptos, vel scripta, γραφια, ut vertit *Epiphanius*. A Græcis ἀγιογραφια nuncupantur, sic dicta, quod scripta sint per Spiritum S. ut loquitur *Kimchi* Præfat. in Psalm. Verùm quicquid sit de illã Prophetarum in *Priores* & *Posteriores* à *Judæis* profectã & vulgò receptã distributione, in quã, quid desideretur, docet *Dn. D. CALOVIVS* in Prolegom. in Prophetas Libro *Josue* præmissis; Illud hoc loco monendum arbitramur; *Ebræos* incongruè Spiritum S. contradistinguere Prophetiæ, cum sine Spiritu S. impulsu atque afflatu nulla unquam Prophetia sit allata 2. Petr. I. 21. totaq; Scriptura sit ἁγιωγραφία, 2. Tim. III. 16. Omnes etiam isti libri, quos ἀγιογραφια

γραφια

22<sup>a</sup> Φ8<sup>s</sup> judæi appellant, à Prophetis sunt profecti, perperam ergò hi à Prophetis discriminantur ita, ut istis solum nomen Prophetarum relinquatur. Præterea malè Libros Chronicorum à prioribus Prophetis abripiunt, qui eodem jure ad eos pertinent, quò Libri Regum illis accensentur. Daniele deniq; præter meritum è Prophetarum choro eliminant. Plenus enim fuit Spiritu Prophetico, eiq; profundissima quæq; Myſteria à DEo fuere revelata, unde & Hieronymus eum in Prologo Galeato Majoribus

Prophetis adnumerat. Nee tacenda hinc ingenua R. Majmon. Mor. Nevoch. P. II. cap. 45. confessio; Daniel, inquit, Psalmi, volumen Ruth & Ester, omnia per Spiritum S. scripta sunt, & hi etiam omnes vocantur in genere Prophetæ, Unde & R. Jachiad cap. I. v. 18. de eodem testatur, quòd summum Propb. terminum sit affectus. Et Maim. Fund. Leg. c. 7. Danieli veri Prophetæ proprietates assignat, vide Hottingerum in Thesauro Philolog. Lib. II. c. I. sect. III. d.

## Num. II.

*De Ministris Ecclesie Vet. Testam. Ordinariis, & quidem de PRIMOGENITIS ante Legem & sub Lege Sacerdotibus, deq; eorum titulis, excellentiis & juribus, degradatione & immissione.*

## §. I.

**P**RIMOGENITUS ab Ebræis appellatur J. בְּנוֹרָא quæ vox per adjunctam aliam vocem ad certam speciem & suppositum restringitur. Græci eam exprimunt per πρωτότοκος, & πρωτόγενος. II. per elegantem periphrasin in sacris dicitur פֶּתַח מִטְּרָה apertura matricis, seu adaperiens matricem vel uterum, Exod. XIII. 2. XXXIV. 19. LXX. reddunt διὰ νοίγων τὴν μήτραν, quod & Lucas Evang. habet c. II. 23. ubi tria observa. (1.) non o-

mne פֶּתַח מִטְּרָה esse primogenitum Patris, vid. si hic non est μίας γυναικὸς ἀνῆρ (ut Paulus loquitur I. Tim. III. 2. Tit. I. 6.) tum is dicitur primogenitus, qui est ex uxore primâ. Sic Joseph Ægypti prorex non fuit primogenitus Patris Jacobi, licet aperuerit τὴν μήτραν (matris Rahelis) Gen. XXX. 23. (2.) & DEum & πρωτότοκον dici διὰ νοίγειν τὴν μήτραν, sed DEus sub formali פֶּתַח aperuit, solvit, pandit, non פֶּתַח emisit, laxavit, distorsit, Gen. XXIX.

XXIX. 31. & cap. XXX. 22. & in oppositione  $\overline{\text{צָרַף}}$  clausit, occlusit, Gen. XX. 18. Adeoq; de DEo utrumq; dicitur, aperire & claudere matricem. Nam sibi soli reservavit, den Lebens / Himmels und Grab-Schlüssel. (3.) Primogenitum dici eum, quem nullus partu antevertit, non quem frater postgenitus subsequatur. Primus enim nō ad sequentes, sed ad antecedentes refertur, ut Jurisconsulti quoq; notant, Tit. de rebus dubiis D. Est primus, quem nemo præcedit, est ultimus, quem nemo sequitur. Hinc rectè Hieronymus in cap. 1. Matth. Tom. IX. morem divinarum Scripturarum esse dicit, primogenitum vocari, non quem fratres sequuntur, sed eum, qui primus natus fuit, & Beda in eundem locum Matth. *Primogenitus dicitur*, inquit, *ante quem nullus, licet post eum nulli* i. e. licet non habeat uterinos fratres. Dicitur igitur *Primogenitus* non in ordine ad sequelam posteriorum, (quæ merè accidentaliter est,) sed in respectu non existentium priorum, ut ita sæpe sit  $\overline{\text{πρωτότοκος}}$ , qui  $\overline{\text{μονογενής}}$ , uti Isaac Hebr. XI. 12. Christus  $\overline{\text{πρωτότοκος}}$  Mariæ, Matth. I. ult. & DEi Patris Col. I. 15. Hebr. I. 6. quod contra Helvidium tenendum, qui perpetuæ Virginitatis Mariæ hostis ex voce  $\overline{\text{πρωτότοκος}}$  Matt. I. 25. inferre voluit, Mariam post partum Virgineum à Josepho cognitam alios peperisse liberos, vide Augustinum de Hæresibus cap. 56. III. vocatur Primogenitus  $\overline{\text{כָּאֵל׳ אֶצְרוּחַן פִּדְּ רֹבּוּר}}$

Patris, item  $\overline{\text{אֵל׳ אֶצְרוּחַן}}$  vel quod idem est,  $\overline{\text{רֵאשִׁית אֲרוּחִים}}$ , principium roboris, seu primitia virium paternarum h. e. qui primum paterni roboris vel vigoris est monumentum, sive in quo parens primum virile robur suum & masculam virtutem exeruit, atque se virum ostendit, des Vaters Kraft und erste Macht / ut optimè locum Gen. XLIX. 3. expresit Lutherus noster, LXX.  $\overline{\text{ἰχὺς καὶ δέχη τῶν τέκνων τῆ πατρὸς}}$ . Malè Vulgatus loco jam citato habet, *principium doloris mei*, quæ versio variis speculationibus occasionem dedit præsertim Jesuitis. Exponenda omninò vox erat per *robur*, non per *luctum* aut *dolorem*, cum Jacob uno contextu dignitatis elogia recenseat, quæ primogenito competeabant, ut Vatablus notavit, hancq; expositionem locus parallelus Deut. XXI. 17. satis evineat, similisq; primogeniti periphrasis Psalm. CV. 36. Dicitur IV. Primogenitus loco adducto  $\overline{\text{יָתֵר שְׂמַח}}$  *Excellent elevatione*, ad verbum, *excellencia tollendi vel proferendi*. Abstractum pro concreto. Onkelos de *excellencia dignitatis sacerdotalis* interpretatur, inde Lutherus der Oberste im Opfer / positus enim est infinitivus pro nomine, habens significationem levandi vel elevandi, seu elevationis & h. l. sacerdotalis. V.  $\overline{\text{יָתֵר יְצוּר}}$  *Excellent majestate politicâ*, Rege dignâ, ad verbum, *Excellentia roboris*, subintellige, *Tu eras*, seu tibi debebatur jure naturæ. Onkelos clarè de

de



de *Excellentiâ imperii in familiâ* interpretatur, Lutherus, *der Oberste im Reich*. Priora Epitheta naturam, posteriora dignitatem & jura primogenituræ respiciunt.

§. 2. Jam allegatus Chaldæus Paraphraſtes *Onkelos* ad Gen. XLIX. 3. tres memorat Excellentias & prærogativas, ſive triplex jus Primogeniti 1. *Regium ſeu Politicum*, 2. *Sacerdotale*, ſeu *Eccleſiaſticum*, 3. *terrenum*, his verbis; *Te decebat accipere tres partes; primogenituram*, (dignitatem terrenam, in duplici hæreditatis portione poſitam) *Sacerdotium & Regnum*. *πρωτότοκος* igitur ſeu primogenitus eſt, cui competit de jure judaico Dominium in fratres, ſacerdotium & duplex portio hæreditatis. *Dignitas & præ eminentia politica ſeu Regia* Primogeniti conſiſtebat, teſtibus Ebræis, in *ſucceſſione Filii*, quod ſcil. ſuccederet primogenitus defuncto Patri in dignitate, honore, & principatu, atq; ut autoritatem haberet in cæteros ſeu minores fratres, qui & aſſurgerent ei tanquam familiæ principi atq; miniſtrarent, ſicut Filii Patri, (vel certè aſſurgere & miniſtrare deberent, loquimur enim de jure, non de facto.) Et ſic inferebat hoc jus primogenituræ in ipſo primogenito ſuperioritatem & principatitatem, proximamq; à Patre in familiâ autoritatem, in fratribus verò obſequium, reverentiam, imò totius corporis inclinationem requirebat. Ad hanc dignitatem conſequenter ſe-

ſe habebat dominium aliquod in externos, ſeu ſervitus populorum, hinc ſolemnis formula in benedictione primogeniti, quam dolo *αδολω*, conſilio matris, ſed diſpenſatione DEi obtinuit ab Iſaaco Jacob; *Serviant tibi populi, incurvent ſe tibi nationes. Eſto dominus fratribus tuis & incurvent ſe tibi filii matris tuæ*, Genef. XXVII. 29. iisdem ferè verbis Judam alloquitur Jacob: *Manus tuæ erit ſupra cervicem hoſtium tuorum, incurvabunt ſe tibi filii Patris tui*. Genef. XLIX. 8. *Dignitas Sacerdotalis* primogenituræ annexa fuit, uſq; ad Legem ſpecialem per Moſen latam, adeoq; ipſi Patriarchæ, cum primogeniti fuerint, ab initio Mundi Sacerdotes fuerunt. *Recepta opinio eſt*, inquit Rivetus Com. in Gen. cap. XXV. Exercit. CXVI. pag. 453. Tom. I. Oper. *ante Legem primogenitos fuiſſe ſucceſſores Sacerdotii in familiis*. Conſiſtebat hæc *ἐξοχή* & præ eminentia in Sacrificiorum oblatione, Verbi divini in ſolenni *παρανομιῶν* prædicatione, Sacerdotali benedictione, publicâq; divini cultus adminiſtratione. Ita ut in ſolennitatibus & conviviis publicis primogenitus Sacerdotalibus infalis ornatus prior ſederet, ſacra adminiſtraret, & reliquis benedictionem impertiretur. Vide Hieron. Epift. 162. quæ eſt ad Evagrium. Hæ ſacræ operæ ac maximè ſacrificia cum ipſo homine cæpiſſe videntur. *Cain* enim, quem primum generationis humanæ miraculum vocat

Rupertus

*Rupertus*, ejusq; frater *Abel*, ad verum DEi cultum nati, haud dubiè parentum exemplo, institutoq; sacrificia sua DEo offerebant, quamvis dispari animo; ille de frugibus terræ, hic de primogenitis pecudum, Gen. IV. 3. seq.

§. 3. Prima autem Ecclesiæ visibilis, ad aucto humano genere, constitutio, publicaq; in illâ Nominis Divini invocatio facta est à Setho Adami primogenito. *Tunc captum est*, inquit *Moses* Gen. IV. ult. invocari nomen *Jehova*, h. e. tunc coepit se dilatare & publicè cultum divinum exercere Ecclesia. Phrasis enim illa, invocare nomen Domini, vel prædicare in nomine Domini, totum divinum cultum cum sacrificiis designat. *Sethum* autem appellamus Adami primogenitum, non respectu naturæ, (nam quæ naturalia sunt, necessariò sequuntur partus ordinem,) sed dignitatis ratione. Imò nec *Cain*, nec *Abel* nominatur filius in S. paginâ, sed solus & primus *Sethus*, Gen. IV. 25. Cujus rei rationem hanc dat *B. Lutherus*, Comment. in Genes. fol. 55. a. quia filiatio Messiae, regniqve Messiani propagatio nec esse potuit per *Abelem*, quippe qui à fratre occisus, periit corporaliter; nec per *Cainum*, qui ab Ecclesiâ excommunicatus, periit spiritualiter, totaq; ejus posteritas in diluvio deleta est, sed per *Sethum*; Unde huic, non illis primùm impositum est Filii nomen, & huic, non illis jus & dignitas pri-

mogenituræ concessa. Ideò etiam in Catalogo Filiorum Adæ *Sethus* primo loco ponitur Gen. V. 3. *Enos* quoque, *Sethi* primogenitus vi horum, *πρωτογονεῖων* sacra legitimè administravit. *Henochum* verò, (quem summum Prophetam & Pontificem, imò Prophetam Prophetarum & Sanctum Sanctorum in isto originali Mundo appellat *B. Lutherus* loco alleg. fol. 78. a.) & *Noachum*, (quem *Philo Judæus* lib. de Abrah. τέλει & ἀρχῆν ἀνθρώπων finem & principium hominum, & *Theodoretus*, σπέρμα τῆ γένεως καὶ ῥίζαν τῆς φύσεως καὶ ἀστέρον ἀδάμη Semen generis humani, radicem nature & alterum *Adamum* vocant,) primogenitos non solum domesticos, verum publicè omnes de voluntate Dei constanter erudivisse & cultum divinum propagasse patet 1. ex sanctâ, quæ de illis prædicatur, conversatione, Gen. V. 24, & cap. VI. 9. 2. ex antediluvianâ animalium in munda & immunda distinctione, Gen. VII. 2, cum in ordine ad sacrificia, tum ad esum humanum. & 3. ex primi post-diluviani sacrificii oblatione Gen. VIII. 20. Ex arcâ enim egressus *Noah* ædificavit altare Domino, non privatâ ἐθελουθουσία, sed jure Sacerdotii à majoribus ad se translato, & holocaustum obtulit, sive ut est in Hebræo (הֶעָלָה) ascensionem de cunctis pecoribus & volucribus mundis Gen. VIII. 20. *Abrahamum*, sacerdotii munus obiisse ex Scripturâ manifestum est. Quo-

cunq;

tuncq; enim locorum venit, extructo altari, nomen Dei invocavit & in cultu divino piè se, suosq; exercuit, vide Gen. XII. 7. & 8. cap. XIII. 4. & 18. cap. XXI. 33. In primis totum sacrificialem apparatus, ritusq; holocausti in stupendo illo fidei, timoris Dei & obedientiæ Abrahamicæ exemplo habemus Gen. XXII. 2. seq. ubi legimus, Abrahamum extruxisse aram, ligasse filium unicum, imposuisseq; illum super struem lignorum, evaginato jam ad mactandum gladio, v. 9. 10. sed post exploratam à Deo ipsius ex fide obedientiam in oblatione Isaaci tentatâ, arietem in dumis hærentem, loco filii sui obtulisse in holocaustû, v. 13. & sic *israheliam* suam hoc pecore absoluisse. Fuit quoq; jam dictus Isaacus benedictionis divinæ hæres, Patrisq; sui, Abrahami, successor & quasi succenturiatus in Ecclesiâ militante, primogenituræ dignitate illustris, vide in primis Gen. cap. XXVI. 25. ubi dicitur, renovasse Isaacum post reversionem in Bersëbam cultum Ecclesiasticum, qui ob crebriores migrationes non potuit non esse interruptus, erecto & consecrato iterum altari Domino, ita ut Sermones sacros plurimos ad domesticos suos ibi haberet, veriq; Sacerdotis munus obiret, *Ubicunq; enim fit mentio erecti altaris* (verba sunt B. Lutheri Com. in h. l. fol. 360. b.) *& fixi tabernaculi, ibi significatur constituta Ecclesiola, in quâ convenerunt homines ad docendum &*

*audiendum verbum DEI, ad orandum & laudandum Deum, & ad sacrificandum -- ibi quoq; Isaac multas pulcherrimas conciones habuit, annis LXX. aut LXXX. circiter.* Esau, homo *βέβηλος*, ne pili faciens primogenituram, (*εὐφρατικὰ πρῶτον* est, quod habent Fontes; scil. eum ipsam primogenituram parvi pendisse) pro uno rufo pulmento vendidit eam fratri Jacobo, & venditionem jurejurando confirmavit Gen. XXV. 31. seq. Jacobum verò vestibus Esavi fratris elegantioribus (sacerdotalibus, primogenitorum propriis, si Judæis, citante Hieronymo in Traditionibus Ebraicis, fides est,) indutum præminentiam primogenituræ à Patre, sene & cæcitate, obtinuisse legimus Gen. XXVII. 15. 27. 28. 29. hoc ipsum verò jus primogenituræ acquisitum exercuisse Jacobum, præcipuè patet ex Gen. xxxv. 1. 2. 3. 4. 7. ubi legimus, Eum Dei mandato altare in Bethel ædificasse, Ecclesiamq; & Scholam instaurasse, ab idolomaniâ, abusibus & traditionibus humanis repurgatam. Atq; sic illorum sententiam approbamus, qui statuunt, decem illos Patriarchas ante diluvium, (quorum decimus Noachus) & post diluvium reliquos usq; ad Jacobum ordine & successionis jure Sacerdotio functos esse, titulo Primogenitorum, vel substitutionis in locum primogenitorum.

§. 4. *Dignitas terrena primogenitorum consistebat in jure dupli-*

eis in heriscundâ hæreditate portio-  
nis, de quo lex postmodum lata Deu-  
ter. XXI. 15. 16. 17. ubi dupla hæredita-  
tis portio primogenitis assignatur his  
verbis; *Filium exosa agnoscat* i. e. a-  
gnoscat, ( futurum enim ponitur pro  
imperativo ) *primogenitum, dando ei  
de his, quæ habuerit* ( de bonis posses-  
sis ) *os duorum, ( μετὰ Φορμῶν, ac si  
primogenitus duo haberet ora, &  
proinde ipsi tantum deberetur, quan-  
tum duobus aliis filiis )* i. e. *διπλῆ, du-  
plicia, vel mensuram duorum.* Ipse  
enim est principium roboris ejus &  
huic debentur primogenita. LXX.  
*ταὶ πρωτότοκῆια, Grotius ad h. l. anno-  
tat, duplam hæreditatem primogeni-  
to concessam usum habuisse ad facien-  
da convivium & sacrorum sumtus, ut-  
pote Familiæ principi & Sacerdoti.*  
*Pareus in h. l. inquit; accepisse pri-  
mogenitos duas partes hæreditatis  
propter officium & onus, quod sustine-  
bant in curandâ domo paternâ & in  
sustinendâ familia. Sed prima & præ-  
cipua ratio est, quòd præfigurari hac  
distributione debuerit Christus, verus  
ille primogenitus, cui debeatur du-  
plex hæreditas, quarum alteram sibi  
servat, alteram nobis donat. Et hoc  
jus geminæ in hæreditate sortis jam  
ante illam à Mose latam legem pri-  
mogenitos obtinuisse, ex Scripturâ  
manifestum est.*

§. 5. Primogenitura, ejusq; jura  
& privilegia hæctenus recensita duo-  
bus modis acquirantur in Israel;

I. per γένεσι, seu generationem.  
II. per μετὰ Φορμῶν seu justam à primo-  
genito naturali in alium filiorum  
translationem. Poterat enim Pater  
*ταὶ πρωτότοκῆια*, hoc est, non ipsam  
prioritatem nascendi, ( factum enim  
infectum fieri nequit ) sed quæ vel ex  
ordinatione Dei, vel hominum statu-  
tis aut consuetudine ipsi annexa sunt,  
non quidem in filias, illæ enim erant  
illorum honorum ac privilegiorum  
incapaces, sed ad post natos, gravibus  
de causis transferre, quam tamen li-  
bertatem Lex allegata Deuter. XXI.  
15. seq. adimebat plures simul uxores  
habētibus. Forma *μετὰ Φορμῶν* seu trans-  
lationis hujus consistebat in primoge-  
niti naturalis à triplici illo jure, ( quod,  
ex antiquissimâ consuetudine an-  
te legem primogenitis dabat in fa-  
miliâ principatum, Sacerdotium, &  
duplam hæreditatem in bonis à Patre  
possessis, ) exclusionem & solemnem filii  
non primogeniti, seu qui non erat  
*פֶּטֶר רִאשׁוֹן* i. e. *διανοίγων τὴν μή-  
τραν*, in jus & dignitatem primoge-  
niti reassumptione, seu inauguratō-  
ne. Fundamentum verò illius trans-  
lationis erat vel in *transfereute*, vel in  
*amittente*, vel in *accipiente*. In *trans-  
fereute* sapius erat vel mystica quæ-  
dam ratio, vel Patriæ potestatis usur-  
patio. In *amittente*; vel sceleris enor-  
mioris commissio, vel profana juris  
primogenituræ rejectio, qualis causa  
fuit in Esavo, *ὅς ἀντὶ βεβήσεως μιᾶς  
ἀπέδοτο τὰ πρωτότοκῆια αὐτοῦ*, qui pro-  
pter

pter *escam unam vendidit primogenita sua*, ut loquitur Apostolus Hebr. XII. 16. In recipiente, actualis virtutum primogenito dignarum conspiratio & possessio, vel prævisa à Patre transferente posterorum multiplicatio, vel illustrioris dignitatis accessio, vel deniq; Messiae futura generatio. Translatio autem hæc 1. non semper illum tantum, cui conferebatur, sed & posteros sæpe respexit, & in illis demum complementum accepit. 2. Sæpe pro uno capite amittente plura capita certâ proportionem jus illud dividenda recepit, ut benè observat Dn. D. Varenius, Comment. in Genes. Decade VIII. Loc. IX. pag. 510. & in Trifolio sacro de Primogenitis, Primitiis & Decimis cap. VIII. pag. 23. seq. sive ut se explicat Com. in Exodum Decade X. Loc. I. ad cap. XIII. 2. concl. II. pag. 197. I. *Uti in ipso primogeniti individuo per יָבֵעִו, ita & per מִטְּיָעִו jus illud non semper erat in actu exercito, sed adimplebatur tamen in posteris, imò in ipso Messia 2. jus Primogenituræ ab uno sæpe capite transferebatur in multa* 1. Chron. V. 1. 2.

§. 6. Exempla translationis habemus in S. Scriptura varia; Inter filios Noë Japhetum natu fuisse maximum, h. e. generationis vel naturæ respectu primogenitum, plurimi arbitrantur, nixi locis Gen. X. 2. 21. & 1. Paral. I. 5. alii verò existimant, Semum fuisse naturæ *πρωτοτόκον*, quippe qui aliàs semper duobus fratribus

præponitur vid. G. V. 32. e. VI. 10. e. IX. 18. X. 1. Non nostrum, hos inter tantas componere lites. Videatur Dn. D. Calovii Chronicon Biblicum, præmissum Bibl. Illustr. sect. II. quæst. V. pag. 65. Ejusdemq; Comment. in Genes. ad cap. X. v. 1. pag. 741. seq. & D. Joh. Tarnovii Exerc. Bibl. libro III. decad. I. num. 1. Illud certum, *Semum*, ex quo Messias oriundus, si non naturæ, dignitatis tamen, maximè Sacerdotalis respectu fuisse primogenitum. Hinc rectè ait Rivetus Com. in Genes. Exercit. LXX. ad h. l. p. 268 tom. I. Oper. *Ex enumerationis ordine, non sequi Semum fuisse primogenitum naturæ, et si postea dignitate prevaluerit.* Sic ab Arano ad Abrahamum translatum esse jus primogenituræ plurimi sentiunt Gen. XI. 26. 27. Quamquam enim sint qui primas nativitatis Abrahamo vindicent, alii tamen existimant, Abrahamum primum numerari, qui minimus esset, ex prærogativâ fæderis divini. Hinc Augustinus Quæst. XXV. in Gen. Tom. IV. Oper. colum. 88. dicit; Abraham fratribus anteponi, *non ob nativitatis ordinem, sed ob futuræ Excellentia ac dignitatis significationem* & Grotius in notis ad h. l. ait; *Abraham primus ponitur, non ætatis, sed dignitatis privilegio.* Controversiam hanc plenè examinat Dn. D. Calovius loco jam cit. sect. III. quæst. IV. & nostræ sententiæ adstipulatur, confect Rivetum loc. alleg. Ab Esavo ad Jacobum translata esse primogenituræ

ræ dignitatem, vel certè insignem ejus partem, ex locis supra allegatis manifestum est. Sic à Rubeno, qui erat Jacobi Patriarchæ primogenitus naturâ, translatum est primogenituræ jus & præ eminentia ad Jehudam, quartogenitum, & Josephum Gen. XLIX. 34. Rem ipsam verbis potius Dn. D. Varenii tractat. de primogenitis cap. VIII. pag. 24. quàm meis proponam; *Erat, inquit, Ruben primogenitus Jacobi, seu פטר רחם, ex odiosa seu minus dilectâ, quod docebit vers. 31. cap. 29. Gen. erat כח וראשית, פון robur seu principium roboris paterni Gen. 49. 3. cui de jure primogeniti debebatur triplex illa dignitas, nec poterat illi præferri Joseph, licet hic esset διαδοίχων τὴν μὴτέρα Rabelis, adeoq; primogenitus Jacobi ex uxore dilectâ primariâ, juxta legem de primogenitis Deuter. XXI. 15. seq. at cum ille stratum Patris ascenderet, & illud nefario incestu pollueret Gen. XXXV. 22. primogenitura jure & præ eminentiâ privatur, & illa ad Jehudam & Josephum, ut primos præcipuarum uxorum filios transfertur Gen. 49. 3. 4. licet naturâ etiam post primogenituræ dignitatem amissam primogenitus maneret Gen. 35. v. 23. Hæc ille. Breviter Dn. D. Calovius Com. in Genes. cap. XLIX. v. 4. pag. 1384. *Dejicitur, inquit, Ruben à dignitate, quæ ipsi ceu primogenito debebatur, & prærogativa illa primogenitura, quæ duplicem hæreditatis portionem inferebat, Josepho tribuitur 1.**

*Par. VI. 1. & 2. dignitas verò Sacerdotii in Levi, Regni dignitas in Judam supra tribus duas, in Ephraimum verò Josephi filium supra reliquas tribus confertur, Simeone, qui Rubeni proximus erat, ob crudelitatem & injurias fratrum in Josephum itidem præterito, & posthabito.*

§. 7. *Degradatio sive exclusio naturalis primogeniti ab illis eminentiis per solemnem fiebat formulam, expressam Gen. XLIX. 4. אלה תהיה, non excellito, posthac eo jure quod tibi ordo nascendi dederat; non habebis in posterum illas primogenituræ juris eminentias, du solt nuu und hiermit keinen Vorzug für deinen Brüdern haben / du solt nicht seyn der Oberste im Opfer / und der Oberste im Reich. Immissio verò primogeniti fiebat vel tacitâ concessione, vel solemnî & Testamentaria inauguratione. Ipse pater vel adhuc valens & incolumis, sive jam jam moriturus in præsentia fratrum primogenitum solemniter declarabat, quod non sine certâ verborum pronuntiatione factum esse, probabile est & colligi haud obscure potest ex Deuteron. XXI. 16. 17. Interdum hoc negotium in casu scil. mortis ante declarationem illam Patris deferebatur ad domum judicii, sive Consistorium. Inaugurationem comitabatur non vulgaris & usitata, (quâ S. Patriarchæ haud dubiè filios suos quotidie prosequabantur) sed singularis & extraordinaria εὐλογία seu benedictio,*

*filio*, ad quam accedebant solemnibus & devota *Nominis divini invocatio*, *χεροχειρία*, seu manus dextra impositio, oscula & amplexus, amoris symbola, aliæq; ceremoniæ, vide Gen. XXVII. 4. 7. 25. 26. seq. cap XLVIII. 15. seqq. Ulti enim Sacerdotes jussi postea benedicebant populo, Num. VI. 24. tanquam *χεριτες*, potiores Hebr. VII. 7. ita Patriarchis munus hoc peculiari-ter injunctum apparet, ut foedus cum DEO initum, ac toto vitæ cursu servatum, quasi depositum ad posteros benedictionis symbolo transmitterent.

§. 8. Habuisse etiam Primogenitos speciales vestes, colligunt nonnulli ex Gen. XXVII. 15. ubi vestium desideriorum, sive pretiosarum Esavi primogeniti, quas mater Rebecca secum habuit domi, mentio fit; Existimant enim Rebeccam matrem vestes illas in usum Esavi primogeniti asservasse, & nunc pro actu ordinationis, Jacobo filio per actum substituendo porrexisse, ut jus Sacerdotale hac ratione eidem traderet. Hinc Hieronymus in quæstion. Hebraic. inquit; Tradunt Hebraei, primogenitos sanctos fuisse officio Sacerdotum & habuisse vestimentum Sacerdotale, quo induti DEO victimas offerebant, antequam Aaron in Sacerdotium eligeretur. Et Lyranus in loc. cit. Quia ait, usq; ad legem datam tempore Mosis primogeniti erant Sacerdotes, habebant etiam vestes speciales pretiosas & odoríferas, quibus induti in magnis solennitatibus offere-

bant oblationes Domino. Quod ipsum ante legem publicam probabile est, ex loco adducto Gen. XXVII. 15. præsertim cum vestium mutatio in solennitatibus & feriis vulgò recepta fuerit, ut patet ex Gen. XXXV. 2. & c. XLV. 22. post Legem latam verò certius est, quam ut probatione indigeat.

§. 9. Quod primogeniti, & qui in vicem eorum assumpti in populo Israelitico ante Legem, seu præceptum positivum Exodi, habuerint certas eminentias præ cæteris fratribus suis, quodq; peculiariter in familiâ Patriarchali divino cultui fuerint mancipati, sive ad Sacerdotale officium ordinati, hætenus demonstratum dedimus; jam porrò ostendendum, quomodo illa *πρωτογονεία* postea per legem positivam Deus primùm confirmaverit, deinde immutaverit. Primùm, inquam confirmavit Deus Opt. Max. Primogenituræ dignitatem, maximè Sacerdotalem, per legem publicam, quando in perpetuam Primogenitorum Ægypti occisorum & in Israele servatorum memoriam omnia primogenita Israelitarum masculina sibi sacra esse voluit: *Consecra mibi*, dicit Jehova ad Mosen, *omne primogenitum masculinum, quicquid est διαποιων των υντων in filiis Israel, cum de homine, tum de jumento*, Exod. XIII. 2. & vers. 12. *Et transire facies* (scil. de tuâ potestate, ut deinceps Domini sit) כל פטר רחם, omnem apertionem vulvæ, i. e. omne adaperiens

riens matricē Domino, Exod. XXXIV. 19. *Omne masculinum adaperiens matricem, meum est*, idem dicitur Num. III. 13. Deus ergo καθόλας præcepit, ut omne primogenitum aperiens παύσαι τὴν μήτραν, sanctum sit Domino, singulari, non communi illo saltem naturæ & gratiæ jure: siquidem singulare erat vindicationis beneficium. Tum enim DEUS *Israelitarum* primogenitos ex communi clade eximens, novum jus in eos sibi acquisivit Exod. XIII. 15. Num. VIII. 17. Illos igitur vel redimi oportuit Exod. XIII. 13. vel DEO consecrari. Quoniam verò ea, quæ DEO consecrantur, aut ejus cultui destinantur, pura & munda esse debent, hinc additur, ut primogenita in brutis munda immolentur, immunda redimantur, vel immutentur. Erant, inquam, immunda permutanda (e.g. asinus ovis) vel abscissis cervicibus enecanda, nequaquam autem ad profanos usus adhibenda. Ut idem contingeret primogenitis immundis non redemptis, quod Ægyptiacis Exod. XIII. 13. Num. XVIII. 15. Primogenitum humanum (masculinum) jubet DEUS redimi V. siclis sanctuarii, ut constat ex Levit. XXVII. 6. Num. III. 47. cap. XVIII. 26. Primogeniti igitur post solemnem illam consecrationem usque ad institutam, cum Levitis commutationem, ad sacerdotales actus specialiter obligati, unde & expressè כֹּהֲנִים *Sacerdotes* appellantur & sacra administrasse

dicuntur. Sic Exod. XIX. 22. mentio fit sacerdotum in plurali, quorum munus aliàs erat accedere, ad Dominum. Hi censentur fuisse *primogeniti* Familiarum Deo consecrati Exod. XIII. 2. penes quos illo tempore adhuc erat Sacerdotii ἀξίωμα, nondum enim Aaron & filii ejus assumpti erant. Itemque per *juvenes de filiis Israel*, quos Moses, ædificato ad radices montis altari, misit, ut offerrent holocausta & victimas pacificas Domino, Exod. XXIV. 5. plurimi cum Paraphr. Chaldæo intelligunt *Primogenitos*; quam interpretationem etiam amplectitur Lyranus ad h. l. inquam; *Dicunt aliqui, quod isti fuerunt Nadab & Abiu, filii Aaron, qui futuri erant Sacerdotes; Alii autem dicunt, quod fuerunt Primogeniti XII. Principum Israel, & hoc videtur verius, quod usque ad Sacerdotium Aaron, quod nondum erat institutum, Sacerdotium & tunc erat annexum primogenitura.* Hæc ille. Unde est, quod pro *juvenibus* Onkelos & Jonathan Chaldæi, *Primogenitos* habent. Manet ergo, *Primogenitos* ab initio Mundi usque ad Legem, ac etiam sub Lege fuisse Sacerdotes, atque ex eo tempore, quo egressi sunt Israelitæ ex Ægypto, extraordinariâ vocatione Moysen, ejusque fratrem Aaronem Sacerdotibus primogenitis fuisse præfectos usque ad Levitarum surrogationem, sive ordinis Sacerdotii Aaronici institutionem. Plura qui de Primogenitis desiderat, consulere potest D. *Varonius* loc. cit. *Joh.*

*Ciriac.*



*Cirierum tract. de Primogenitis, Lud. Molinam de jure Primog. Jacob. à Saa de Primogenit. Andr. Tiraquell. de Jure Primogenitorum, Cass. Questelium*

de vi & conditionib; Primogeniturae,  
*Job. Frischmuthium de Primogeni-  
tura Hebraeorum.*  
&c.

NUM. III.

## De LEVITIS, in locum Primogenitorum surrogatis.

§. I.

**S**acerdotalem Primogenitorum dignitatem DEum per Legem Exodi XIII. 2. 12. 13. confirmasse, cum solemnem consecrationem, tum praesentationis & redemptionis per V. siclos sanctitatis obligatione, supra diximus. Nam uti vi Legis jam dictae mundarum pecudum facti primogeniti pro victimis fuere, ita hominum primogeniti Sacerdotum loco habiti sunt. Verum hanc solemnem Primogenitorum consecrationem biennio statim post excepit specialis lex divina de Primogenitorum reliquarum Tribuum cum Levitis commutatione, seu totius Tribus Levi (Primogeniti enim Levitarum jam ante erant obligati,) in locum omnis primogeniti humani *תן מרתא* aperiens surrogatione & ad ministerium tabernaculi assumptione. Nam recensitis in deserto omnibus Israelitarum primogenitis, & supra viginti duomillia numeratis, ut habetur Num. III. 42. & 43. *Levita*, qui ferè totidem reperti sunt (ferè, inquam, excessit enim numerus primogenitorum numerum Levitarum, in ducentis septuaginta tribus personis, qui excessus ut ad aequalitatem reduceretur, jussit

DEus, ut unumquodq; caput quibus, sanctuarii siclis redimeretur) in illorum locum adfuiti sunt & cultui divino dicati. Atq; ita Sacerdotii Dignitas, quae penes familiarum primogenitos haecenus fuerat, Leviticæ Tribui commissa est. Describitur illa Sacerdotalis Translatio ipsius DEI verbis loco jam citato, v. 12. *Ego tuli Levitas è medio filiorum Israel loco omnis primogeniti, quod aperit vulvam, à filiis Israel, eruntq; mei Levita.* Omnes quidem Israelitæ ad DEI cultum erant obligati, sed singulari ratione primogeniti, quibus in clade Aegyptiorum precario vita erat data Exod. XII. 32. quosq; non solum inde ab initio Sacerdotio fuisse functos, sed & à DEO peculiariter per solennem consecrationem post Exitum ex Aegypto ad ministerium suum destinatos esse, haecenus ostendimus. Horum loco nunc etiam ex gratia Jehova substituit *Levitas*, duodecimam tantum populi partem, ut servirent Tabernaculo & sacra administrarent. *Rupertus* annotat; Hebraeorum traditione, omnes primogenitos ex stirpe Noë usq; ad sacerdotium Aaronis fuisse sacerdotes, DEOq; victimas immolasse, coar-

coarctatam verò dignitatem fuisse in unâ Tribu Levi, donec veniret primogenitus ille, qui seipsum non redimeret, sed futurorum bonorum Pontifex & sacerdos in æternum semetipsum pro nobis offerret. Hebr. IX. II.

§. 2. Levitæ autem, quos in locum primogenitorum DEus substituit & assumpsit, non habebant hæreditatem in Israel, sic enim Josuæ XIII. 33. dicitur; *Tribui Levi non dedit* (Moses) *possessionem, quoniam Dominus DEus Israel ipse est possessio ejus, ut locutus est illi.* (scil. Num. XIX. 20. seqq.) Ut, quod aliàs primogenitorum fuerat, eò expeditius exercerent ministerium, & toti cultui vacarent divino. Et quia è primitiis, decimis, oblationibus & sacrificiis ad Levitas omnes, rerum ad vitæ sustentationem necessariarum, plus satis suppetebat. Ab illo autem permutationis articulo obligabat saltè primogenitorum in tēplo præsentatio, & λύτρον seu pretii persolutio, quod pretium fuit V. siclorum argenteorum sacrarum (ut supra dictum,) quorum singuli fuerunt 20. obolorum Num. III. 47. ex Lege Levit. ult. v. 6. 15. Num. XVIII. 26. Quo factò etiam Ordini Levitico DEus prospectum voluit, ut necessaria ex his redditibus consequerentur alimenta, quotquot sacris ministrarent. Hoc soluto pretio, quod etiam ablatâ à Primogenitis dignitate sacerdotali obligabat & Levitis cedebat, dimittebantur primogeniti. Nec

adimebatur illis hac ratione prima, h. e. politica, nec tertia, h. e. terrena Primogenitorum eminentia, utpote quas dignitates etiã post legem retinebant, abrogato illis sacerdotio. Quæ verò hujus *usq̄ Josuas isrl. 13. 33.* causa fuerit, & cur Sacerdotium Primogenitis adēptum & in Levitas translatum sit, disquirunt Ebræi pariter & Christiani. Communis ferè opinio est, ideò assumptam esse Tribum Leviticam, quia cæteri Primogeniti *usq̄ Josuas isrl. 13. 33.* & vituli conflatis adoratione sese polluerant, Levitæ verò hujus sceleris integri vindices & ultores extiterant istius abominandæ idololatrias, trucidatis ferè *tribus millibus virorum* Exod. XXXII. 28. ob quam causam in benedictione Tribuum etiam disertè commendantur Deuter. XXXIII. 8. seq. Videatur *Loring* Com. in Num. cap. III. p. 84. *Pelargus* Com. in Eundem libr. pag. 30. & *D. Varenus* Tract. de Primog. cap. V. pag. 16. Nobis hîc sufficiat DEI consilium: rectè *Gregorius M.* lib. IX. *Moralium*; *Dei facta semper indiscussa veneranda sunt, quia injusta esse nequaquam possunt; rationem quippe de occulto ejus Judicio querere, nihil est aliud, quam contra ejus consilium superbire. Laudemus & veneremur quod agitur, quia tutum nescitur, quod tegitur.* *Prosper* libro de Vocat. gentium. Nescire velle, quæ Magister optimus docere non vult, erudita inscitia est.

Coll. diss. A. 91, misc. 57